



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorvm|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. V. Accessio, Accessorium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

l. 6. C. de spectat. & scen. n. 14. Venditor ancilla consentiens prostitutione ei jus perditus injectionis manus *l. 1. C. si mancipium ita venerit. Brunnem. ad l. 6. C. de spectat.* Creditor pignoratam ancillam prostituens pignus perdit. *l. 24. §. fin. de pign. att.* & qui eam, quam ab hostibus redemit, prostituit, amittit pretium, *l. 7. C. de postlim. revers.* & tali modo liberata nec ob ingratitudinem in potestatem revertitur. *Brunnem. d. l.* Sic qui ex publicis aqueductibus aquam in aedes suas deduxerit, vel arbores plantaverit, iis privatur *l. 2. 10. C. de aqueduct.* *Perez. C. eod. n. 4. §.* qui jus aquae ducendae impetravit, non autem ex castello secundum consuetam formam, sed ex fistulis matricibus duxit, eo jure privatur. *l. 3. C. eod.* Qui aqueductus fundum suum transeuntes non purgat, fundo privatur. *l. 1. C. eod.* ob abusum singularem omnis emphyteuta fundo, ob sevitiam vassallus feudo privatur. *Brunnem. ad l. 3. C. de mancip. & colon.*

CAP. IV.

Acceptatio.

Axioma I.

Cuicunque duplex offertur lucrum, ille repudiato uno potest acceptare alterum, quia cuilibet liberum est lucrum, quod ex diversa causa offertur, separare, & ita unum tantum acceptare. Ita praelegatum acceptari, hereditas verò repudiari potest. *l. 12. C. de leg.*

Limita: nisi de alia mente illius, qui lucrum offert, constet, v.g. si testator noluerit heredem habere legatum nisi hereditatem retinuerit. *l. 88. de leg. 1. Joan. à Sande lib. 4. tit. 4. def. 7.*

II.

Toties ex acceptance literarum aliquis obligatur, quoties facultatem contradicendi habuit & non contradixit. arg. *l. 16. ad SCrum Macedonianum.* Quia sic ex taciturnitate & receptione literarum praesumitur consensus & approbatio illorum quae in literis continentur. Conf. *l. qui patitur. 18. ff. Mand. Gail. lib. 1. obs. 21. numer. 9.* Ita ergo campfor, qui literas cambii acceptat, ad solutionem est obstrictus. *Marguard. de jure mercat. l. 3. cap. 9. num. 58.* Principalis qui cessionem à procuratore factam accepit, illam videtur ratihabuisse. *Mev. P. 2. dec. 140.*

III.

Oblationem adversarii non acceptans ex ea se non potest juvare. *Myns. dec. 1. resp. 1. num. 40.*

CAP. V.

Accessio, Accessorium.

Axioma I.

Sublata accessione tollitur jus ex accessione quassitum. Quia sublata causa domini subla-

tum censetur ipsum dominium. Ita diruto edificio, quod in alieno solo extructum, erat, materia ad pristinam causam refertur & potest à domino vindicari, vel ab eo ad exhibendum agi. Idem est si quis ex materia aliena in fundo proprio aedificaverit. *l. 23. §. fin. l. 59. de R. V. §. 30. Inst. de R. D. junct. l. 2. C. de R. V.*

Limita: ut procedat quoad bona fide aedificantem; in eo enim non potest dici affuisse animus donandi. Non ergo idem erit in eo qui mala fide aedificavit.

II.

Quoties accessorium speciali lege fulcitur, toties etiam subsistit sublato principali. Ratio consistit in auctoritate legis, quae facit ut accessorium per se valeat tanquam principale. Ita legata per se subsistunt sublato principali scilicet testamento, juxta *Nov. 115. cap. 3. in fin.*

Limita, modò accessorium tale sit, quod sui natura & per se subsistere possit. vid. *supr. l. 1. cap. 8. axiom. 5. in fin.*

III.

Quicumque dominus est rei principalis, ille etiam sit dominus illius, quod rei principali accedit, quia accessorium sequitur suum principale. *cap. 47. de R. J. in 6to. Exempla vid. in §. 19. seqq. Inst. de R. D.*

Limita: (1.) nisi res principalis longè vilior sit accessorio. *Zoëf. ad ff. de acquir. rer. dom. §. 33.* (2.) modò id, quod accedit, bona fide accedat.

IV.

Accessorium sine principali alienari non potest, e.g. servitus praedialis sine praedio, adscriptitius sine fundo suo. *Brunnem. ad l. 7. C. de agricol. & censu. num. 2.*

CAP. VI.

De Accusatione.

Axioma I.

Accusatus super crimine pristinis honores retinet, novos autem petere nequit. *l. 17. §. 12. ad municipal.*

Limita (1.) si causa criminalis intra annum contra eum non finiatur, nec per eum steterit. *l. 7. de muner.* tunc enim novos petere potest. (2.) pristinam dignitatem amittit, si vel per sententiam ab officio suspensus sit, vel de mala administratione ipsius officii accusetur. *Perez. C. de reis postulat. num. 2. seqq.*

II.

Accusare prohibitus potest tamen suam injuriam vindicare, e.g. colonus qui dominum judicio pulsare non potest, potest tamen